

50. 1. 6. 8. 5.

I. N. J.

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

OFFICII IN FAVOREM TERTII
RESIGNATIONE,

Quam

ex Decreto

MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS

in Academia Lipsiensi

pro

Summis in Utroq; Jure Honoribus

Privilegiis & Immunitatibus Doctoralibus
solenniter obtinendis

publicæ Eruditorum ventilationi
exponit

M. GODOFREDUS NICOLAUS ITTIG, Lips.

d. XXIV. Octobr. Anno M DC LXXVIII.

H. L. Q. C.

iss. jur. civ.

454,18

LIPSIÆ, Literis JOH. GEORG.

25.

PHYSICIS

PHYSICIS

PHYSICIS

PHYSICIS

PHYSICIS

PHYSICIS

55



In Nomine Jesu.

PRÆFATIO.

Quoniam Natura quædam inter homines constituit cognationem, per *l. 3. ff. de l. & l.* ideo vel ipsa ratione naturali obligamur, ut aliis quoque benevolentiam nostram exhibeamus, commodumque illorum, quantum possibile, promoveamus. Contestari autem hanc benevolentiam possumus, ut alia jam omittamus, maximè per Resignationes officiorum nostrorum, quæ in eorundem, quos superiori commendamus, figunt, favorem. Quæ licet tam in Ecclesiastico quam foro Politico non planè infrequentes sint, non tamen omni carent vel dubio vel difficultate, ideoque & operæ pretium esse duxi, de hoc argumento, quantum per paginarum compendium licebit, quædam loco Inauguralis Disputationis breviter conscribere, eademque Publico Examine, DEO Auctore, submittere.

CAP.

CAP. I.

De Definitione Nominali & Reali.

§. I.

Resignationis nostræ vocabulum h. l. sumitur pro ea abdicatione & cessione officii, quam Canonistæ passim *in tit. de Renunciation. & aliis* Renunciationem, item Abjurationem, & Feudistæ 2. F. 14. Refutationem vocare solent.

§. 2. Et describitur, quod nihil sit aliud quam actus, quo officialis ex causa legitima functioni sibi demandatæ in gratiam tertii, quem commendat, superiore consentiente iterum renunciat.

§. 3. Generis loco ponitur Actus, quod verbum generale est l. 19. ff. de V. S. In reliquis continetur differentia specifica, quæ desumpta, partim à Subjecto tam activo Resignantis, quam passivo resignatarii, partim ab Objecto & ipso officio, partim à causa efficiente, favore scil. tertii, partim à causa finali ut & impulsiva seu concurrente causa legitima, partim à forma, quod fieri debeat in manus superioris. Quæ omnia latius deducere in sequentibus capitibus DEO propitiô conabor.

CAP. II.

De Divisione.

§. I.

Dividitur autem Resignatio in favorem tertii suscepta, in spontaneam & invitam, *non secus ac simplex resignatio in c. s. X. de Renunc.* Est autem invita, quando principium movens est extrinsecum & extra resignantem, v. g. si quis dolo vi metuque ad resignationem sui officii in alterius favorem inductus est, quale exemplum occurrit *in Clem. 2. de pœn.* ubi quis carcere conclusit clericum, donec resignavit. Huc referri etiam suo modo potest Exemplum Henrici IV. Imperatoris in favorem filii Henrici V. resignantis vid. Cuspin. sub vit. Henr. IV. n. 25. circ. fin. & seqq. Imo & casus

fus

aus, ubi quis ad instantiam sæpius iteratam duri cujusdam & metuen-
di Principis resignavit, nam rogare eum species violenta jubendi
est, *arg. l. 4. ff. de R. J. ubi velle non dicitur, qui obsequitur imperio
Domini.*

§. 2. Spontanea est, quæ fit à volente nulloque alio cogente
d. c. 5. X. de Ren. ubi & illud habetur, quod talis in dubio facta non
præsumatur, additâ ratione, non esse verosimile, ut quispiam bene-
ficium multis forte expensis & laboribus quæsitum, quò sustentari
debet, facile sine magna causa sua sponte resignet; Sed ut ex con-
textu apparet, hæc magis ad simplicem resignationem spectant,
non verò ad eam, quæ tractationi nostræ est propria, cum illa, quæ
in tertii favorem expediuntur, facilius præsumantur sponte fieri.

§. 3. Hæc rursus est, vel expressa vel tacita; Expressa, quæ
fit verbis ad hoc expressis, & plerunqve in publicis officiis per lite-
ras petitorias ad superiorem transmissas: Renunciatur autem hoc
modo, vel pure & simpliciter ex mero tertii favore, quem nostro
Collatori commendamus, absque ulla ulteriori vel pactione vel re-
servatione, in hunc ferme modum: wenn mir denn wegen angeneh-
mener Kriegsdienste / und andern erheblichen Ursachen meinem mir
aufgetragenen Officio ferner nach Gebühr vorzustehen nicht mög-
lich / als bin daher selbiges freywillig und wohl bedächting ad liberam
manus & benevolam dispositionem des Herrn Collatoris in favorem
meines Ehrens N. N. zu resigniren und abzutreten bewogen wor-
den / massen ich auch solches nunmehr demselben cum omnibus ob-
ventionibus in optima juris forma resignirt / cedirt / und übergeben
haben will / der Zuversicht lebend / es werde der Herr Collator seinen
Consens, wie ich denn dienstlich zubitten / hierzu zuertheilen /
hochgeneigt geruhen. Vel sub conditione adjecta permutationis, re-
gressus, reservati salarii, & sic consequenter. Formula talis erit:
jedoch anderer Gestalt nicht / denn daß ich wegen meines hohen Al-
ters und darbey abnehmenden Kräfften / auch treu geleistete Dienste /
und daß ich sonst keine andere Lebens-Mittel habe / nicht allein bey
meinem loco, als Professor, biß an mein Seel. Ende ruhig gelassen /
sondern auch bey dem Salario und andern Jährlichen Accidentien ge-
handhabet werden möchte. Unde hæc, quia fit sub qualitate suspen-
siva, non aliter effectum sortitur, nisi superior istas condiciones ap-
probet,

probet, eò quod conditio nil ponat in esse *l. 19. pr. ff. de Const. pec. § l. 13. § pen ff. X. Pign.* nihilque actum prius censeatur, quam conditio extitit. Et de hac posteriore resignatione conditionata & illud obiter notandum, quod in officiis Ecclesiasticis non possit citra Simoniam coram inferiore Collatore & ordinario, sed tantum coram superiore fieri. *arg. c. 8. X. de pact. § c. 24. X. de Simon.* eo quod in superiores non tam facile cadat sinistra opinio, sicut & jure civili Principis præsentia solennitates actuum excludit *l. 34. C. de don.*

§ 4. Tacita est, quæ fit ipso jure, absque verborum alia expressione v. g. si officialis successorem designatum pariter & expectatum jam habens aliud acceptat officium cum priore incompatible, secuta enim ejusdem pacifica possessione tacite primo renunciasset censetur, ita ut primum ipso jure vacet per impetrationem secundi, *ut ex Bartol. notat Christin. Vol. 5. Dec. 134. n. 28.* quo facit illud *2. F. 21* Desinit esse miles seculi, qui factus est miles Christi. Est autem & hic obiter notandum, quod resignans acceptando incompatible officium, vel etiam expresse faciat, ut designatus in ejus obitum successor excludatur, scil. in casu ubi expectativa non fuit generaliter, sed specialiter in casum mortis concepta. Hæc enim non purificatur resignatione officialis, sicut nec permutatione, alioque actu inter vivos celebrato *per c. 6. de Rescript. in 6. ne rescriptum contra verba aperta nimis extendatur. l. 2. §. 16 ff. ne quid in loc. publ.* Accedit quod aliud sit cedere, aliud decedere, illud fit ultro, hoc vero coactè & lege naturæ sic jubente. *vid. Myler. ab Ehrenb. in Hyparch. c. 3. §. 135. § seq. Add. Christin. Vol. 1. dec. 71* ubi latius tractat, quâ ratione officialis per indirectum præjudicare possit expectativo suo.

§ 5. Si vero officia utraqve sunt compatible, tunc aliud acceptando officialis alteri renunciasset non præsumitur, quamvis enim dicendum videatur, nemini plura officia, ne quidem compatible esse committenda *arg. c. 32. X. de præb. in 6. § c. 3. de Cler. non resid. confer etiam l. 10. §. 31. C. de præx. Sacr. Scrin. Lib. 12.* quod valde sit difficile, unum hominem duorum vicem sustinere posse *per l. 9. pr. ff. de pact.* metuendum enim est, ne duarum rerum difficillimarum, tractatione distentus, utramque dum vult neutram capiat *l. 14. C. de Assess.* nihilominus tamen ob quorundam subjectorum capacitatem, solertiam & dexteritatem, salariorum tenuitatem, aliorumque habi-
lium

Ium penuriam uni sæpe personæ plura officia conferuntur, quorum
 unius exercitium alteri non repugnat *p. l. 49. ff. de Oper. libert. Perez.*
in C. de prox. Sacr. Serin. n. 5. Christin. Vol. 5. Dec. 123. n. 10. seq. Nam si
 repugnantia sunt, verum manet, quod dixi, tacite prioris resigna-
 tionem fieri. Et spectant huc *l. 17. ff. de jurid.* ubi suscipiens Magi-
 stratum officium Advocationis perdit, in tantum ut in hac causa te-
 neatur quoque iudex suas vices ad interim Alii demandare *ob l. 14.*
in fin. C. de Assess. scil. ne affectionis suæ vel Advocationis memor in-
corrupti iudicis non possit nomen perferre l. 6. C. de postul. ibiq. Brunn.
adde & pr. d. l. 14. C. de Assess. ubi expresse cavetur: ne quis audeat
 Advocatorum in uno eodemque tempore tam Advocatione uti,
 quam consilarii cujuscunque Magistratus, quibus Resp. gerenda
 committitur, curam arripere, cum satis abundeque sufficiat vel per
 Advocationem, causis perfectissime patrocinari, vel Assessoris offi-
 cio fungi, sed si Advocatus esse maluerit, hoc cum debita solertia
 implere possit, vel si assensionem elegerit, in ea videlicet permaneat,
 ita tamen, ut post Consilarii sollicitudinem depositam liceat ei ad
 munus Advocationis reverti.

CAP. III.

De Subjecto.

§. I.

Subjectum duplex est, aliud activum aliud passivum. Activum
 est ipsa persona habilis ad resignandum, qualis quælibet in offi-
 cio constituta non prohibita. Consideratur hoc subjectum tam
 quoad sexum quam quoad ætatem.

§. 2. Quoad sexum resignans esse potest tam masculus
 quam femina: de illo minus, de hac vero magis dubitatur, quia
 feminae juxta *l. 2. ff. de R. J.* iudices esse, magistratum gerere, postu-
 lare, procurare prohibentur, adeoq; à civilibus & publicis officiis
 generaliter remotæ videntur. Ratio peti potest ex *l. 1. §. 5. ff. de*
postul. ne contra pudicitiam sexui congruentem agant, & hoc mori-
 bus sic introductum dicitur in *l. 1. §. 1. ff. ad SC. Vell.* quo referri et-
 iam potest Lex Salica, quæ foeminas à Regno Gallia exclusas præ-
 tendunt

tendunt vid. *Limn. Lib. 2. c. 2. n. 39.* (ubi refert verba illius legis, & ostendit, illam prohibitionem magis per interpretationem, & longum usum esse acceptam, perinde ac si verbis legis introducta esset) Nihilominus tamen consuetudine aliud introduci posse nulus dubito, eo quod natura foeminas etiam solertes, industria literatas, educatio pias, experientia prudentes saepius efficiat. Hinc non modo ad gubernacula alicubi admissas notum, sed & specialiter de Paudis Indorum Gente refert Schönb. 2. Pol. 12. illam foemineo sceptro paruisse, idemque in Asia quoque jam inde à Semiramide receptum esse. Spectant huc etiam exempla recentiora non ignota Margarithæ scil. Daniæ Regi- næ, quæ tribus regnis Septentrionalibus sola imperavit, item Elisa- bethæ Angliæ sceptrum per 45. ferme annos feliciter tenentis, nec non Mariæ Hungariæ, quæ ob animi dotes singulares non Regina sed Rex à subditis dicta est. *vid. Limn. lib. 2. c. 2. n. 49.*

§. 3 Cum igitur foeminae usu alicubi non refragante capa- ces sint Imperii, ut dictum, quid mirum, si & ad alia officia admit- tantur minora, imprimis consuetudine vel statuto sic disponente. Defectus enim foeminarum ex positiva lege ut dependet, ita & Prin- cipis legibus soluti gratia suppleri potest. Unde legimus *in l. 1. §. fin. ff. de postul.* quod pro certis personis Advocati munus suscipere, *in t. t. C. quand. mulier. offic. tut.* tutelam gerere, (quod procedit & in illustri- bus, sic moderni Ludovici XIV. Mater tutelam & Regni administrationem suscepit, *conf. Renat. Choppin. lib. 3. de doman. c. 5. Excipiuntur tamen vi- dæ Electorum per text. A. B. tit. 7.*) item *in l. 3. §. 2. ff. de liberal. causa* quod Procuratrices litium in causis liberalibus fieri possint, ut refert *Brunn. ad l. 4. de procur. n. 5.* quod ob d. l. 3. etiam in Camera, quæ- dam foemina pro liberando suo marito captivo procuratrix admissa fuerit. *jung. Gail. 1. Obs. 133. num. 8. it. cap. 4. extra de confirm. util. & in ult.*

§. 4. Ex dictis patet, foeminas variorum officiorum civilium capaces esse, cur ergo denegemus eisdem resignationes in terminis habilibus non video, cum quis suo juri renunciare non prohibeatur *l. pen. C. de pact.* Unde in recenti extat adhuc memoria Exemplum Chri- stinæ Gustavi Adolphi Sveciæ Regis filia, quæ non ita pridem Co- ronam in favorem sui Patruelis deposuit. Anno enim illo, quo pa- cem in Germania factam subscripsit, Regni Ordines ab Ea petierunt, ut

ut cogitaret de Nuptiis, quibus hæredem Regno sibi successorem parare possit, sed ipsa aliam viam esse respondit, quæ Regno Principem sibiq; successorem crearet, atq; ita Carolum Gustavum prædictum Patruelem bellicis aliisque virtutibus jam satis conspicuum elegit, eumq; Regni Svecici Principem hæreditarium declarari fecit, ut patet ex *Recess. Comitiorum Holmiensium, de An. 1658. Mercurius Hist. sub illo Ao. fol. 302. seqq.* Quamvis autem me non lateat, quales resignationis illius rationes alias conjecturando afferat Christoph. Forstner. in *suis Epist. p. 125.* quando dicit:

Transparent profecto hujus rei perobscuram conjecturam quædam. Aucta enim in immensum & præter Majorum morem Aulae magnificentia est, & qui eam in struunt sumtus. Impensæ Norimbergiæ conviviorum apparatus & beneficiorum magnitudine tota Germania corrogatæ opes. Inauguratio Reginae incredibili pecuniarum prodigientia peracta, tanquam tanti esset auspiciari Regnum quod mox ejuraret. Absumpta promiscuis largitionibus præcipua Ditionum in Germania bello quæsitaram & Livoniæ tributa, nihilq; postremo reliquum, quo Regia dignitas & belli pacisq; onera sustineri poterant. Pudebant, Regnam corrigere errorem, successore opus erat, qui tanquam cassa revocaret, quæ neque dari neq; accipi salva Rep. poterant &c.

quod idem facit Burgold. *ad Instr. Pac. part. 1. discurs. 15. pag. 305.* illæ tamen favorem tertii non excludunt, cum nil obfit, quo minus resignatio in favorem fieri possit, ex causa quadam movente & præcedente vid. Christin. *Vol. 5. Dec. 117. in fin.* ubi ipse de se confitetur, quod officio Consilarii & Syndici Civitatis & Provinciae Mechliniensis cum consensu Magistratus resignaverit, in favorem filii sui, & ut ipsi esset consultum, addit tamen Idem, aliam adhuc fuisse causam moventem scil. ut se ab onere sublevaret, cum per annos 37. eo munere functus fuisset, tum ut sua opera à multis desiderata meliori cum otio in lucem posset edere.

§. 5. Si ergo fœminæ totum Regnum in tertii favorem resignare possunt, quidni & partem ejus poterunt. v. g. jurisdictionem certo districtui cohærentem? idq; non tantum secundum quid, & quoad exercitium saltem temporale, quo referri suo modo potest

B

casu

casus, si nubit marito, & sic ipso facto in favorem sui mariti legitimam bonorum administrationem suscipientis tacite resignat; sed etiam in universum cessione & abdicatione sui juris in favorem ementis, vel in feudum recipientis vel aliter paciscentis.

§. 6. Sic etiam non est ignotum, quod mater vel Avia tutrix tutelæ officium in gratiam proximorum agnatorum vicissim resignare possit, imo aliquando teneatur propter nuptias secunda vice susceptas *obl. 22. in fin. C. de Adm. tut.* (Videtur tamen insolens, quod matri post secunda vota tutela non amplius relinquatur, cum tamen eadem & vitrico deferatur, *per l. fin. C. de Contr. jud. tutel. & Carpz. p. 2. c. 11 d. 43.* Sed recte notat Brunn. *ad l. fin.* quod illa restringenda sit ad casum, ubi nulla subest sinistra suspicio in vitrico & adest cognatorum consensus.)

§. 7. Sed Q. si mater post tutelæ resignationem nubere impediatur, forte ex pœnitentia, vel ob mortem sponfi, utrum regressum habeat ad eandem repetendam? videtur quod sic, quia contractæ demum nuptiæ matrem à tutela repellunt *per Nov. 94. c. 2. & Auth. Sacramentum C. quand. mul. tut. offic. fung.* Sed Resp. distinguendo inter tutelam novo tutori jam delatam & deferendam; si delata, tunc juxta Perez *in C. d. t.* regressus matri denegatur, quia res non amplius integra, & jura perditâ non debent iterari in alterius quæsitum jus habentis præjudicium, si vero adhuc deferenda ex æquitate matri regressus denegari non debet *conf. Myns. 3 Obs. 83. in fin. ubi hanc opinionem vocat æquioram.*

§. 8. Hæc de Sexu, sequitur ut ætatem quoque resignantis respiciamus, quia enim mortales pro ejus varietate diversa quoque discrimina tam corporis quam animi sentiunt, ideoque illa sicut in distribuendis ita & resignandis officiis maxime observanda. Non autem omnem ætatem regulariter capacem resignationis esse puto, ex eo, quod nec omnis ætas habilis sit ad quodlibet officium consequendum, privatio autem præsupponit habitum. Et licet etiam occurrant exempla Henrici IV. infantis quinque annorum communi Procerum consensu Patre Henrico III. sic suadente, Cæsaris electi, item Friederici II. qui filium suum Henricum puerum novem annorum ex consilio Principum Germaniæ, quibus Pontificis injurias & conatus de Imperio in se transferendo monstraverat, Aquisgrani corona-

corona-

coronavit Matth. in *Theatr. Histor. sub eorum vitis p. 902.* & *91* tamen hæc exempla plane sunt exorbitantia & singularia, quo facit *l. 2. ff. de Jur. immun. it. l. 2. ff. de R. J.* quia ad gubernacula imprimis illi requiruntur, qui alios prudentia vincunt, infantes autem quid agant, non intelligunt *l. 12. §. 2. ff. de judic.* Sed pone infantem aliqua functione officii ornatum, an resignare poterit? Resp. illam resignationem vix procedere, quod sapiat speciem alienationis, præprimis in locis ubi officia quædam sunt venalia, ut de Gallia vulgo fertur, interim tamen nec plane excludere ab omni resignatione eos possum ideo, quod resignatio in favorem tertii fiat coram superiore quasi decretum suum interponente & in resignationem consentiente, quare si talem casum præsupponimus, ubi in infante aliquis est intellectus, & accedit tutoris autoritas, & decretum superioris, non video cur à resignationibus nostris plane excludi possit, cum alias alienationes ipsorum hoc modo procedant *§. 2. Inst. quibus al. lic. vel non.* Sed Q. utrum hujusmodi minores resignantes contra resignationem factam in integrum possint restitui? vid. *Boer. in decis. aur. 350.* ubi disting. utrum minori beneficium ab initio collatum sit cum facultate cedendi & renunciandi vel permutandi, aut vero sine ea, & hoc posteriori casu semper potest restitui, priori vero non aliter nisi res adhuc integra & beneficium nondum alicui collatum per *l. 24. §. 2. ff. de minor.*

§. 9. Si ergo & in ætate juvenili quandoque resignationes procedunt, minus dubitatur de illis, qui in senectute sunt constituti, quæ quando præcise incipiat definita non est, sed judicis discreti arbitrio relinquitur cum *Gail. 1. Obs. 92. n. 7.* (ubi addit, in Camera quinquagenarios pro senibus reputari) licet enim in *l. fin. C. qui etat. se excus.* Majores LV. annorum pro senibus habeantur, in tantum, ut invitati ad personalia munera subeunda non cogantur, tamen adhuc fluctuant inter se Interpretes, qualiter *d. l. fin.* sit legenda: sic *Carpz. lib. 5. Resp. 90. n. 19* putat cum *Cujac.* pro LV. legendum LXX. idque propter verba textus sequentia, ubi numerus septuagenarius recurrit. Idem sentit *Brunn. ad d. l. fin.* propter loca paralela in *l. 2. §. 1. ff. de Vacat & Exc. mun. & l. 3. §. 6. ff. de muner. & honor.* ubi constans lætatio 70. annorum reperitur. In jure Sax. definitur senectuti Annus LX. *lib. 1. Landrecht Art. 42.* Et hæc ætas, quia maxime conjuncta

B 2 est

est eum debilitate corporis pariter atque animi, præ reliquis accom-
modata censetur nostris resignationibus, quo spectat etiam *l. 2 §. 7.*
ff. de Vacat. Muner. ubi dicitur, quod Præses Provinciæ si animad-
vertat quosdam senio vel corporis imbellicitate vexari, ut muneri
suo non amplius sufficiant, illos dimittere aliosque officiales consti-
tuere possit: *it. locus 2. F. 14.* ubi Vasallo ob senectutem decrepitam
feudi refutatio in favorem liberorum facta conceditur, quamvis fa-
tear. solam ætatem non semper esse causam sufficientem, ut in tertiâ
favorem consentiat superior, ut patet *ex c. 1. extra de Renunc* ubi
Alexander Pontifex noluit dimittere Londonensem Episcopum,
etiamsi is simpliciter saltem officio resignasset, sed voluit, ut sub
umbra nominis ipsius ulterius Ecclesiam gubernare pergeret, quia
in ipso devotionis vigor, corpore quamvis senescente, nondum
defecerat, animadvertens vergente deorsum conditione corporea,
fervorem spiritus in sublimiora conscendere, facit huc *l. 2 §. 1. it.*
l. 8. pr. ff. de Vacat. muner. quod solus numerus 70. annorum ab ho-
noribus & dignitatibus excusationem nullam præbeat, & sane tutius
sæpe est, personæ emeritæ, antequam discedat, negotium adhuc
relinquere, quam novitiæ protenus committere, unde & *in l. 13. §.*
vlt. ff. de Vacat. mun. jubetur iudex causam potius differre quam suc-
cessori & novitio deferre.

§. 10. Subjectum passivum voco ipsum resignatarium, ita
enim vocatur, in cuius favorem resignatio facta fuit, ut videre est
ex Chassanæo *de Doman. p. 487.* hic autem secundum quælibet officia
habilis esse debet, aliàs frustra in ipsum fit collatio. *Bœer. in decis. 119.*
p. 1. nisi superior cum ipso velit dispensare, quale exemplum refert
Rebuff. in Prax. benef. in part. 3. Rubr. de Regress. p. 362. ubi Pontifex
Episcopatum puero contulit sub hoc tamen modo, ut interim habeat
Præceptor ejus usque dum ad legitimam ætatem perveniat, quo facto
ipse propria autoritate accedere possit ad Episcopatum. Et hic
modus vocatur acquirere Episcopatum cum accessu.

§. 11. Sed Quid utrum & is pro inhabili æstimandus ad officium
publ. qui literas nescit, ut nec legere nec scribere possit? Resp. hanc Q.
æstimari debet, e ex officii qualitate Ecclesiasticum enim nemini nisi
literarum perito committendum *c. 7. extra de Elect. Menoch. 2, Arb. cas.*
126, n. 1. Seculare autem quod concernit itidem pro indigno habetur,
unde

unde & à tutela excusatur in §. 1. *Inst. de Excus. tut. Myler ab Ehrenb. in Hyparch. c. 6. sect. 2. n. 99.* Excepto casu, ubi quis concrediti officii, & muneris habet peritiam *l. 6. §. fin. ff. de Excus. tut.* Item si per Collegium hic defectus singularis suppletur, & ipse resignatarius aliis qualitatibus sit instructus, hinc in *l. 6. C. de Decur. literarum expertes Decurionis munera peragere non prohibentur & in l. 6. C. de jurisd. militibus de re militari judicare permissum est, item in l. fin. C. eod. idem iudicium tribuitur etiam artificibus de sua arte.* Sufficit ergo, si quis rerum peritiâ defectum literarum suppleat.

§. 12. Imprimis vero admittendi sunt resignatarii ex sanguine resignantis, non tantum, quod Princeps obligetur bene de se merentium officialium liberos promovere, sed etiam, quod liberi cum patre eandem diligentiam & fidelitatem adhibitori præsumantur, ipseque Parens per illud honoretur. Sed Q. si Pater officio renunciavit in favorem filiorum, & postquam renunciavit, moriuntur liberi masculini sexus, utrum sub nomine filiorum & foeminini sexus personæ tacite contineantur? Resp. negative, quia filiorum nomine non comprehenduntur in hac materia foeminæ, cum regulariter ad publica officia non promoveantur, nisi ubi consuetudine aliud introductum Bald. in *c. ad audientiam in fin. de Rescript.* quo casu mariti ipsorum officia sustinent, prout consuetudine imprimis Hispaniæ introductum scribit Perez in *C. de mulier. in quo loc. mun. n. 16. & 17.* ubi refert, quod hæc sit ordinaria officii impetratio per resignationem Parentum, & procedat ea in liberis utriusque sexus.

§. 13. Sed quid dicendum, utrum tertius Emerito se possit ultro offerre, resignationemque ab eodem urgere in sui favorem? Resp. quod sic. Non enim omnis ambitus statim est prohibitus, non certe qui precibus fieri solet *arg. l. 3. ff. de Off. Prat.* sed tantum qui largitionibus aut alioquin contra bonos mores est *l. un. ff. ad L. Jul. ambit.* quando quis secundum *l. 25. ff. de procur. operam suam ingerit invito,* uti vultures hosce egregie depinxit Ann. Robertus *Lib. 1. rer. jud. c. 7.* Similem in modum fugienda redemptio, quæ fit dato pretio, quæ in officiis sacerdotalibus in specie dicitur Simonia *per t. e. de Simonia.* Non tamen hoc Simoniæ crimen incidere dicitur, qui Præbendas & canonicatus soluto, ut vocant, honorario

pro resignatione acquirit juxta Dn. Struv. *Ex. 49. §. 82.* Neque illi
contrarius est Dn. Carpz. *L. 2 Consist. d. 312.* licet hic statuat, Cano-
nicatum certa pecuniæ summa redimere vel acquirere non licere,
neque quenquam obligare hunc actum, loquitur enim hic de vera
venditione & Emptione Canonatus pro certo pretio, qui actus
omnino prohibitus *per s. 1. & §. 9. causa 1. q. 3.* ubi semper occurrit
vocabulum Emere & vendere, licet enim & hic actus proprie Simo-
niacus vix videatur dici posse, scil. quod Simonia sit vendere dona à
DEO nobis data, quæ vere sunt spiritualia, ut remissio peccatorum,
Spiritus Sanctus, gratia DEI, dona vero Ecclesiæ oblata, fundi, do-
mus, redditus, & similia proprie spiritualia non sint dicenda, neque
à DEO data sed ab hominibus Ecclesiæ oblata, nihilominus tamen
pro tali habetur, ut videre est ex dd. tt. quo facit etiam præjudic. Dn.
Carpz. *d. 6.* Siweil aber dergleichen beneficia und Canonat we-
der umb Geld zuver auffen und dieser Actus einer Simoniæ nicht un-
ähnlichen so ist auch mit bemeldten von Adel dergleichen Contract ein-
zu gehen nicht rathsam es mag auch derselbe vor beständig und kräftig
zurecht nicht gehalten werden. Sed Struv. loquitur de gratuita pro
oblato honorario facta resignatione, quæ est concessa, aliud enim
honorarium est, aliud pretium, pretium enim quasi compensatio-
nis gratia intervenit, quod inde apparet, dum aliquam proportio-
nem dati & accepti requirit, honorarium verò nullam requirit
proportionem & tantum grati animi declarandi gratia offertur,
unde & gratuitum contractum non immutat *arg. leg. 1. §. 4. junct.
leg. 6. pr. ff. mand.* Sed Quæritur nunc, quanam Actione hoc-
ce promissum honorarium resignatione subsequatâ recusatum,
peti, aut etiam, non secuta, datum repeti possit? Quod
priorem casum attinet, videndum, quid inter partes actum. Nam
si stipulatio præcessit, tam condictio certi, quam ex stipulatu locum
habebit *pr. Inst. de V. O.* Si verò contractus innominatus, præscri-
ptis verbis actio instituenda *l. 2. §. 4. ff. de P. V.* Nec obstat *l. 5. §. 3.
ff. eod.* ubi dicitur, quod si faciam, ut des, & postquam feci, cesses
dare, nulla erit Civilis actio, jam vero civilis est præscriptis
verbis actio *l. 5. ff. eod.* loquitur enim de casu speciali, ubi in negotio
al quo manifeste simul dolus daturi arguitur: Nam hoc casu ad do-
lum corrigendum non hæc civilis sed de dolo actio competit *d. l. 15.
maximè*

maximè si nulla ad eum, qui dare debuit, utilitas peculiaris & quæ
lucrum redoleat, pervenit per *l. 4. C. de dol. mal.* Aliud ergo est
ubi dolus daturi manifestè non apparet, ad eumq; ex facto subsequen-
to peculiaris utilitas pervenit, nam tunc adhuc præscriptis verbis
actio competit *vid. Dn. Eckold de P. V. § 3.* Alterum casum, quod
concernit, scil. quando dedi ut fieret resignatio: illa autem
non fuit subsequuta, iterum distingvendum est, utrum negotium,
quod præcessit, transivit in certum quendam, licitum tamen con-
tractum, an vero non transivit: si illud, nascitur exinde fluens actio,
si hoc: subdistingvendum est, utrum resignatio intermissa sit ex par-
te seu facto dantis, an verò accipientis si ex parte dantis for-
te quod eum facti pœnituit & tunc, condictio causa data causa
non secuta datur per *l. 1. §. 1. ff. de Cond. causa dat.* Si ex parte ac-
cipientis, tunc is vel non vult, vel non potest resignare, si
prius, tunc itidem locum habebit condictio dati *lib. 3. § 2. ff.*
cond. causa dat. si posterior, & tunc iterum interest, utrum impe-
ditus fuerit antequam resignationem instituit, forte ob delictum
commissum propter quod privatur officio, & idem dicendum, an
vero dum resignat impediatur, eo quod superior illum nolit dimitte-
re, & tunc videtur prima fronte, quod illud factum pro completo
sit habendum, & per consequens cesset repetitio, dum fecit quod
potuit *l. pen. C. de cond. ob caus. dat. l. 3. §. 3. & 4. l. 5. §. 2. ff. eod.* æqui-
tas tamen & hic repetitionem admittit, ne alter simul & officium, &
quod pro honorario accepit, retineat. Sed quia hodie nome actio-
nis in libello exprimere non tenemur, nec etiam in foro atqve tri-
bunalibus ventilatur, qualis sit & esse debeat actio, plura de his actio-
nibus loqui non lubet cum Brunn. *ad l. 4. C. de dol.*

§. 14. Nunc è contrario Q. utrum resignatarius oblatum
officium possit recusare? Resp. Negative, quando sc. civi seu mem-
bro Reip. concurrente superioris jussu munus publicum defertur.
per l. 9. ff. de muner ubi dicitur, si quis magistratus in municipio crea-
tus munere injuncto fungi detrectet, per Præsides munus agnoscere
cogendus est remediis, quibus tutores quoq; solent cogi ad munus,
quod injunctum est, agnoscendum, æquissimum enim est, onera
ab illis lubenter suscipi, qui commoda protectionis, commercio-
rum, aliorumq; jurium Civilium percipiunt *arg. l. 10. ff. de R. J. fallit*
tamen

tamen hoc principium, ubi iusta subest causa recusandi, ut patet ex
l. 1. de Excus. tut. it. l. 2. & passim de Vacat. & Exc. mun. quales sunt v. g.
sexus per l. 3. §. 3. ff. de muner. ætas tam juvenilis l. 8. ff. cod. quam se-
nilis l. 3. ff. de jur. immun. morbus l. 2. §. 7. ff. de vacat. muner, digni-
tas l. 10. ff. de muner. numerus liberorum l. 8. pr. ff. de Vacat. & Exc.
mun. & similes, extra quos casus expressos multum iudicis discreti
arbitrio committitur, sed quid si nullam recusandi causam habens
protenus juret, se non suscepturum officium, anne adhuc cogen-
dus? Aff. temeritati enim ejus nil indulgendum, ne alias invitentur
reliqui ad effugienda munera publica. Conf. l. fin. pr. ff. ad municip.

CAP. IV.

De Objecto.

§ R

Objectum resignationis in favorem est ipsum officium, quod
resignat officialis. Sumitur autem officium h. l. generali-
ter, pro qualibet functione publica, sive sit secularis sive
Ecclesiastica, adeo ut etiam Pontificia dignitas apud Canonistas re-
signationis non sit incapax. conf. c. 1. extra de Ren. in 6. ubi Cœlesti-
nus V cogitans, quam accuratam aliquando de Animabus totius
mundi rationem reddere debeat, ejusq; salus inde maxime pericli-
tetur, si propter ætatis infirmitatem Ecclesia aliquid detrimenti ac-
cipiat, Papatum resignavit. Add. Gloss. ibid. ubi refertur, quoque
Marcellinum & Clementem idem fecisse, illiq; Marcellum, huic Li-
num successisse. Quamvis autem hæc exempla tantum de simplici
loquantur resignatione, dubium tamen non est, quin etiam extendi
possint ad nostram resignationem in favorem, cum sit de jure per-
missorum, in quantum nulla lex extat prohibitiva contraria. Acce-
dit quod & hujus resignationis in favorem videatur esse exemplum,
quod circa tempora Alberti II. Imp. contigit, post exauctoratum
Eugenium IV. dum in ejus locum successus Amadæus Dux Sabaudie
Felix V. dictus, ad instantiam Imperatoris resignavit in utilitatem
Nicolai V à quo vicissim obtinuit Cardinalatus dignitatem vid. *Pla-
tin. in Vit. Nicol. V.* Neque huic asserto Pontificem resignare posse
Pontificatum obstat, quod Papa non recognoscat superiorem in cu-
jus

jus manus resignatio fiat, Pontificem enim suum Papicolæ exlegem fecerunt, ut huic principio præcise sit adstringendus conf. *Dn. Ziegl. in Jus Can. L. 1. T. 9. §. 12.*

§. 2. Proximi Pontifici sunt Cardinales, de quorum origine dignitate & officio vid *Sprenger. in Jurispr. publ. Lib. 2. c. 35.* ubi quoque proponit distinctiones illorum in Cardinales Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Inter hos non omnibus, sed quibusdam saltem Cardinalibus scil. Diaconis resignationem concedi tradit *Limn. annot. ad Proem. Capit. Carol. V. v. 6. des Tituls St. Chrysogoni Cardinalis n. 68.* ubi simul addit, quoniam Cardinales in hoc tertio ordine Diaconorum comprehendantur, scil. qui ex familiis Ducum vel Principum sunt oriundi, quibus per dispensationem Pontificis resignare dignitatem Cardinalitiam & ad gubernationem Ducatus vel Principatus accedere, prætereaque matrimonium contrahere concessum est. Exemplum habuimus superiori seculo in Heinricho Emanuele Regis Portugalliae filio, qui post interitum ex fratre pronepotis Sebastiani Regis Portugalliae post Cardinalatum dimissum, Regnum accepit. Et in nostro seculo in Mauritio Sabauda, Principe Onegliae, qui itidem Cardinalatum resignavit, & fratris filiam sibi matrimonio junxit.

§. 3. Idem quoque de Episcopatu dicendum, ut ut enim hic dubitandum, utrum vel ullo modo Episcopi resignare queant, propter indissolubile, quod intervenire statuunt, matrimonium cum Ecclesia sua initum. *Lancell. de Chor-Ep sublat. §. 2.* tamen quia juxta *Dn. Ziegl. ibid.* hoc magis adulterium, quam verum conjugium dicendum, dum vera Christi Sponsa est ipsa Ecclesia, non vero ministri ejus, ideo dubitatio illa facile removeri potest, præprimis cum expresse etiam ipsi Pontificii resignationes concedant Episcoporum, modo ex aliqua causa fiant, quarum in *c. 10. X. de Renun. sex* recensentur & seq. vers. includuntur:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,

Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

§. 4. Non absimilis ratio juris obtinet in Presbyteris & cæteris infra Episcopalem dignitatem constitutis officialibus.

§. 5. Relictis officiis Ecclesiasticis accedimus ad secularia, ubi primum Q. de Imperatore, utrum Imperium resignare possit?

C

quod

quod affirmandum cenſeo: quamvis enim in noſtro Imperio legem certam & expreſſam de hac re non habeamus, tamen, quia aliquando ab Electoribus admiſſa fuit, perinde æſtimanda eſt, ac ſi expreſſa quadaſam lege & conſtitutione permiſſa eſſet. Et ſpectat huc factum Caroli V. Imp. qui tot Principibus victis tandem ſponte Imperio renunciavit. Cauſæ impellentes recensentur in Receſs. Imper. de Anno 1559. zu Augſpurg. ibi: ſonderlich von wegen obliegenden Alters und immerwehrender Schwachheit / 2c. Diſputatum quidem fuit à Curia Romana tum temporis, utrum hæc reſignatio ſubſiſtat, cum non facta eſſet in manus Pontificis, ſed fruſtra, & Ferdinandus Caroli V. deſignatus Succeſſor legitima Germaniæ Principum Electione & confirmatione contentus, illam animoſè reſpuit, unde brevi poſt Pontifice illo Paulo IV. extincto ſucceſſor ejus Pius IV. Imperatoriam dignitatem à Carolo in fratrem tranſlatam ratam habuit, ejuſque tanq. legitimi Imperatoris Legatos honorifice excepit. *Lampad. p. 74. ſeq.* Sic & ante Carolum alii quoque Imperatores renunciarunt Imperio, tam ſimpliciter, quo ſpectant exempla Diocletiani & Theodoſii 3. quam in tertii favorem, ita reſignavit Imperium Lotharius Ludovici Pii filius, qui Ludovicum filium prius conſortem Imperii adſcivit, & poſtea totum ſponte reliquit Imperium. Non tamen deſunt, qui factum Lotharii pro Commiſſione & mandato cum libera ſaltem habuerunt, vid. *Limn. Lib. 2. c. 11. n. 9.* Sic etiam Conradus 3. reſignavit Friederico I. & proprium filium præterit. *Matth. in Theatr. Hiſtor p. 626.*

§. 6. Idem & de Regnis dicendum, nam & hæc reſignata legitimus, idque non tantum ſimpliciter, quo ſpectat recentiſſimum exemplum Poloniæ Regis Caſimiri, quam in tertii favorem, quale ſupra allegavimus exemplum Sveciæ Regiæ, item Caroli V. filio ſuo Philippo reſignantis Regnum Hiſpaniæ, Alphonſi Aragonii Neapolitani Regis ob ſævitiæ & avaritiæ inyiſi Regno cedentis, idque in Ferdinandum filium egregia fama & virtutibus commendatum tranſferentis *Chriſt. Forſtn. in not. ad Tac. Lib. 13. c. 4. p. 354.* Refertur huc quodammodo poteſt ex Sacris Reſignatio Davidis Salomoni Regnum Iſraelitarum cedentis. Quamvis autem non exemplis ſed legibus ſit judicandum *p. l. 3. C. de ſentent. & interloc.* tamen cum & hic nulla extet prohibitio, ab exemplo argumentum ſumi poſſe credendum eſt cum *Limn. d. c. 11. Lib. 2. n. 8. ſeq.*

§. 7. De

§. 7. De Electoribus & reliquis Principibus idem dicendum: Sic habemus exemplum, quo Elector resignavit Electoratum, in fratris favorem in Friederico II. Electore Brandenburgico, qui resignavit Electoratum Anno 1470. fratri Alberto Germanorum Achilli, sed tamen cum Electoratus seculares Principatus & Ducatus successivi & quasi hæreditarii, & nemini jus suum quæsitum auferri possit, ideo resignationem in his concedo, quatenus fit in favorem, immediate succedentis non vero extranei, nisi forte ad tempus. Unde non procedit resignatio in præjudicium dissentientis primogeniti, eo quod jus suum jam olim à primo concedente acceperit, quod ipsi invito per intermediam personam, forte Parentis sui auferri nequit, etiamsi contra ipsum ingratus extitit, cum ex hæredatio tantum in allodialibus procedat, non vero feudalibus proprie sic dictis, scil. ex pacto & providentia. A primogenitorum autem ordine non excludo filium ante dignitatem à Patre obtentam natum, cum ille ordine nascendi præferendus, facit, quod & hic pro Senatoris filio habeatur in l. 5. ff. de Senat. qui ante dignitatem illam à patre impetratam natus est, ut omittam, quod aliàs successio ex mortis tempore demum æstimetur, non habita ratione acquisitionis: unde nec in Electoribus momentum adeptionis observatum fuisse apparet in Christiano II. Elect. Sax. qui licet Anno 1583. vivente adhuc Avo Augusto Electore natus, quo tempore Christianus I. Parens Electoria dignitate nondum fulgebat, tamen successit post obitum Parentis sui, etiamsi Augustus tertio genitus de Patre Electore Anno 1589. prognatus esset. Item in Friederico II. Placido primogenito Friderici bellicosi, qui quamvis Anno 1411. natus, & ita ante translatum in Patrem ipsius & Marchiones Misniæ Electoratum (quod post mortem Alberti 3. ultimi in Ascania Familia Elect. Saxon. Anno 1423. factum) tamen post patris obitum successit, excluso VVilhelmo post translatum Electoratum Anno scil. 1425. nato.

C A P. V.

De Forma.

§. I.

Forma alia Essentialis est, alia Accidentalís. Essentialis in eo consistit, ut fiat in manus Superioris in favorem consentientis Perez in C. de mulier. in quo loc. mun. n. 17. (Per Superiorem vero

intelligitur is, qui talis est respectu resignantis non resignatarii Ze-
chus *de benef. & pension. Eccles. c. 13. n. 2.*) nec immerito, cum nihil tam
naturale, quam eo genere quid dissolvi, quo colligatum *l. 35. ff. de*
R. J. Unde non est licita resignatio sine consensu Pontificis, quan-
do eidem quis immediate subiectus est *c. fin. X. de Renunc.* Hinc &
Jure veteri, ubi constitutiones Magistratum ex L. Valeria adhuc pe-
nes Populum erant, resignationes quoque in favorem ibidem fieri de-
bebant. Mutata postea Regiminis Democratici forma in Monar-
chicam eo devenit, ut sicut Prætorum, Præsidum aliorumque Magi-
stratum creandorum facultas soli Principi competiit *per leg. 1. ff.*
& l. un. C. ad L. Jul. Ambit. leg. 57. ff. de de R. Jud. ita & eidem Re-
signationes tam simplices, quam in favorem fieri debuerint,
idque in tantum verum erat, ut Magistratus se aliter abdicando
Imperio nihil egerit. *leg. l. 20. ff. de Off. Præs. & l. fin. C. de Defens.*
Civit. Hodie cum Potestas hæc constituendi Magistratus Provin-
ciales & municipales jure superioritatis competat cuilibet Principi
in suo territorio, ut ostendit Knichen *in Encyclop. cap 7. n. 9. seqq.* ean-
demque vel per se, vel alios, quibus ex speciali privilegio aut infeuda-
tionis jure concessio, exerceat, ideo pro re nata & ibidem resigna-
tiones fieri debent.

§. 2. Quoniam vero Superioritatis Territorialis jure à Prin-
cipibus Augustanæ Confessionis in Imperio Nostro Rom. Germ.
etiam jus Episcopale exercetur, *per Pac. Osnab. Art. 5. §. es soll auch/*
ideo dubium non est, sicut constituendorum Ecclesiæ Ministrorum,
ita & dimittendorum aliorumque in locum resignantium surrogando-
rum ipsis facultas competat, quare & consensum ipsorum requiri in
nostra resignatione statuendum est, præter consensum autem Prin-
cipis ipsius etiam Patroni assensum desidero, quamvis enim simplex
resignatio justa si adsit causa, invito etiam Patrono & Collatore fieri
possit, non tamen illa quæ est in tertii favorem, ratio est hæc, ne per
hanc libera præsentandi Patroni censeatur ablata occasio. *Carpz.*
L. 3. Consist. d. ult. n. 16. hinc eodem teste *Lib. 1. d. 17.* Pastor vel mini-
ster Verbi, ne quidem ex justa causa sibi alium ignorante Ecclesiæ
Patrono adjungere valet, electa siquidem hic fuit certæ personæ in-
dustria, quæ per alium non statim expediri potest. *arg. l. un. §. 9. C.*
de Cædus. toll. Rittersh. ad Nov. p. 1. c. 7. n. 91. accedit, quod hujusmo-
di pa-

Subjunctio

di pactiones circa spiritualia & eis annexa inter resignantem & resignatarium in ita Simonia labem contineant *per c. 5. extra de Rer. permitt.* quam remove & ex illicito licitum reddere demum potest superioris autoritas. Hinc juxta jus Canon. ut supra declaravi nequidem coram ordinario Collatore procedunt resignationes in favorem alterius, sed tantum coram Pontifice, cujus solius est, circa Simoniam dispensare, quemadmodum enim (*sunt verb. Ann. Roberti Lib. 1. rer. jud. c. 7.*) qui de furto transigit infamis est, si tamen Praetore praesente vel jubente pretio dato paciscitur, non est infamis, propter Praetoris autoritatem, sic quoque ex Canonistarum sententia resignare in favorem solo Collatore autore Ordinario Simonia est, sed quoties quis Summo Pontifice approbato in favorem resignat aut de pensione constituenda paciscitur, facit autoritas Pontificia, ne actus ille ulla Simonia labem infametur, sed recte addit Idem *ibid.* Dixerim salva sedis Apostolicae veneratione, indignum esse, ibi demum disciplinae Ecclesiasticae Regulas ulla dispensatione violari, ubi purissimum fidei Christianae splendorem elucere conveniens esset. Et laudatur Pontifex Pius V. indigne ferens, tales resignationes in curia Romana admitti, qui proinde objicientibus: hoc esse destruere Curiam, satius esse, respondit, destruere Curiam & adstruere Ecclesiam *vid. D. Ziegler. J. Can. lib. 1. T. 18. §. 4.*

§. 3. Cum igitur resignationes in favorem in manus superioris fieri debeant, ut dictum, Q. de Imperatore, cui is resignare possit & debeat? Videtur quod Comiti Palatino, eo quod is vi *A. B. T. 5. §. fin.* sit ipsius & quidem tanquam Imperatoris iudex, quia de re *vid. Limn. Lib. 3. Jur. Publ. c. 9. n. 24. seq.* (Si enim ut Archi-Dux Austriae consideratur vel alius Princeps) imperii forum sortitur in Camera vel coram Austregis, sed Resp. negative. Quamvis enim hoc iudicium concedatur Comiti Palatino tam in causis civilibus quam Criminalibus (ut ut vix quoddam hujus iudicii extet exemplum) tamen illud non extenditur ad casus, qui incurrunt officium Imperatorium quoad electionem & cessionem. Haec enim res ad Electores potius & Imperium pertinet *vid. Carpz. d. L. Reg. Germ. c. 14 sect. 6. n. 21. seq. & ad A. B. Tit. 5. q. 3.* quia ab iisdem Imperium habet: unde & formulae mit Vorwissen des H. Reichs Churfürsten verlassen resignirt und übergeben, *Limn. lib. 2. c. 11. n. 15.* quod observavit etiam Carolus V.

qvi Anno 1558. per Legatos Francofurtum ad Mœnum (ubikum temporis comitia celebrabantur) missos toti Imperio resignationem fecit, non quidem ex necessitate (sufficiebat enim resignationem in manus Electorum factam fuisse, à quibus Imperium acceperat) sed ex consultissima ratione, ut scirent Electores & Ordines se nunc solutos esse à Subjectione, quia abdicatio illa nihil aliud, quam remissio subjectionis respectu subditorum, partim etiam ut tempestive Reip. consuleretur.

§. 4. Sed Q. ulterius: Utrum Electores resignationibus hujusmodi Imperatorum præcise annuere necesse habeant? Resp. quod non, quia enim Imperator ex Electione & pacto jus Imperandi habet, ideo libere sine Electorum & Ordinum consensu discedere non potest, quemadmodum nec licet à contractu perfecto invito altero recedere. Et quamvis alicui videri possit: Resignationes Imperatorum liberas esse, eo quod & habitus Imperandi & jus regendi non per conventionem aliquam, sed liberam Imperii acceptationem acquirat, deinde si qua fit conventio, illa saltem de modo Imperandi sit concepta, quæ non obligat Imperatorem ut præcisè imperet si nolit ulterius, sed potius si velit, ne aliter quam convenit, possit. Existimo tamen Imperatorem per Capitulationes & pactiones adeo adstrictum, ut Imperii perpetuam administrationem susceperit, quæ pacto suscepta, libere abdicari vix poterit. Pertinet huc exemplum Imp. Henrici II. qvi Anno 1019. Argentinam concedens, ibidem canonicam vitam transigere voluit, aber das haben Jhn die Fürsten des Reichs nicht gestatten wollen / sondern begehrt er solle des Reichs warthen / und haben ihn mit Gewalt davon abgehalten. Limn. d. l. 2. 6. II. n. 54.

§. 5. Forma Accidentalibus est varia: sic fieri potest per Procuratorem *Clem. un. de Renunc.* vel per Legatum, qualem observavit iterum Carolus V. ut supra dictum: & extat tota quoque decisio 75. noviss. *Rota Rom. p. 2. de resignatione Canonici Stephani Francischini Canonici Imolensis per procuratorem speciale mandatum habentem, Pontifici facta in favorem Annibalis Jovii: quæ resignatio per procuratorem ideo procedit quod constat, clericum absentem per alium de beneficio Ecclesiastico investiri posse c. 24. extra de prebend.* jam verò contrariorum eadem disciplina.

§ 6. Re₃

§. 6. Requiritur autem in Procuratore ut sit legitime constitu-
tus, desiderat vero Rebuff. in Prax. benef. p. 361. n. 13. ut si constitu-
tio Procuratoris ad resignandum noctu fiat, adesse debeant tria lu-
mina, ut resignans plene videri & cognosci possit, eo quod tenebrae
ad decipiendum aptiores l. 1. §. 10. ff. de Ventre Inspic. si vero fiat in-
terdiu, debeant fenestrae esse apertae, ut iterum plane cognosci possit
à Notario & testibus resignans, aliàs suspecta fiat resignatio. Sed
hae solennitates apud nos non observantur, quin potius sufficit, si
quis procuratorio nomine resignare in alterius favorem intendens
exhibeat instrumentum publicum vel etiam privatas literas manda-
tum continentem per Clem. 1. de procur. l. 1. §. 65. ff. eod. Requiritur
autem speciale mandatum, eo quod resignatio sit species alienatio-
nis: jam vero alienare procurator sine speciali mandato nequit l. 63.
ff. de Procur. l. 16. C. eod. accedit quod haec res sit magni praedi-
cii.

§. 7. Sed quid si constituens poenitentia ductus revocet
mandatum? Distingv. ex Clem. un. de Renunc. Utrum res adhuc sit in-
tegra, an vero non, Boer. in decis. 350. n. 5. part. 2. dicitur autem inte-
gra, si cessio nondum facta est in illius manus, cui erat facienda. Si
ergo haec cessio jam facta est, antequam mandati revocatio ad pro-
curatoris notitiam pervenit, poenitentia illa nimis sera est, excepto
casu, quo per ipsum Procuratorem aut alios malitiose factum est, quo
minus ad eum revocatio pervenire potuit d. clem. ibiq. Gloss. Notat
tamen Dn Ziegl. ad J. Can. de Renunc. §. 13. & quidem ex Mantica, quod
hoc speciale sit in Procuratore constituto ad resignandum benefici-
um, alias enim generaliter verum esse, nullum actum qui citra con-
sensum domini effectum sortiri nequit, à procuratore revocato fieri
posse, etiamsi ignoraverit se esse revocatum, quo etiam facit c. fin. de
Procur. in 6. ubi procuratoris ignorantis revocationem, contractum
matrimonium pro nullo pronunciatur. Sed Dn. Struv. Ex. 22. §. 17.
potius invertit sententiam Manticae dicendo, esse aliquid speciale in
matrimonio, propter c. fin. de Procur. in 6. & regulariter subsistere fa-
ctum procuratoris revocationem ignorantis per l. 15. ff. mand. §. 9.
Inst. eod. l. 65. in fin. de Procur. vid. Ziegl. ad J. Can. Lib. 2. T. 10. §. 3 junct.
L. 3. T. 2. §. 19.

§. 8. Ad

§. 8. Ad Accidentalem formam spectant etiam conditiones resignationibus apponi solitæ, qualis est v. g. conditio regressus, ut si is cui noviter defertur officium præmoriatur, aut aliorum promoveatur officium ad resignantem cum omnibus qualitatibus redeat. Et hic modus non adeo improbandus, si fiat ex causa scilicet quod resignans longo tempore Ecclesiæ vel Reip. præfuit, nullumque aliud habeat beneficium, quo ejus senectuti succurri possit. Favorabiles enim tunc sunt regressus, cum per eos melius Ecclesiæ vel Reip. prospiciatur cujus interest plures idoneos, quam unum saltem habere *arg. c. 12. X. de constit.* quia unius defectus suppleri potest per alterius facultatem.

§. 9. Sic intendunt sæpe officiales officio frui quamdiu vivunt, sed tamen cum variis impedimentis occurrentibus officio superesse non valent, ideo, ne plane removeantur tempestive sibi de Adjuncto vel substituto prospiciunt, unde & superioribus eos, qui vices eorum subeant, commendant, & sic substituti eò lubentius officium suscipiunt absque ullo vel salario vel accidentibus, quo certiores redduntur à superioribus de successionis omnimodæ expectativa. Quæ res etiam legibus non plane contraria, valet enim pactum de successionem & hæreditatem viventis in eam usque ad mortem consentientis *l. 6. C. de pact.* cum qua convenit *can. petiisti causa 7. q. 1.* ubi dicitur; quod Episcopo senescente coadjutor dari possit, ut is eidem postea morienti in Episcopatu succedat. Hinc & Augustinus Coepiscopus fuit Valerii Hipponensis Ecclesiæ Episcopi *c. 12. causa 7. q. 1.* Quamvis enim obstare videatur votum mortis si adjutor non statim plene officium capiat, & ob idem in Belgio jam olim Expectativæ per Maximilianum Imp. literis Edicti datis Mechliniæ *d. 12. Sept. 1485.* prohibitæ fuerint *Vallens. ad Decretal. L. 3. T. 8. §. 1. n. 5.* Non tamen hoc universale vel verosimile est, coadjutorem conspire velle in necem sui benefactoris & Antecessoris. Et licet non desint exempla eorum qui nullam suis Evergetis gratiam retulerunt, uti Tiberius Nero Cæsar à Caligula filio adoptivo successore destinato suffocatus est *Sveton. in Tiber. c. 73.* item Henricus IV. Imp. postquam Henricum V. designari Regem curavit, ab eodem omni dignitate spoliatus est. Et eodem pene fato occubuit Henricus I Angliæ Rex, cum Henricum filium se vivo Regem inaugurari jussisset *Myler ab Ehrenb. in Hyparch. cap. 3.*

111111

n. 4. 8. Casum tamen aduersum nemo debet expectare l. 89. §. 5. ff. de V.
O. Neque officit c. 2. X. de concess. præb. ubi expresse cavetur: Nulla
Ecclesiastica ministeria tribuantur alicui seu promittantur antequam
vacent, ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum
se crediderit successurum &c. Resp. hoc cap. intelligendum esse, ubi
Pontifex ex se per modum gratiæ vel etiam contractus & onerosum
titulum expectativam certi cuiusdam officialis sive ignorantis sive
scientis & dissentientis concedit. Nam huiusmodi concessionem ille-
gitimæ sunt per supr. alleg. Neq; obst. quod ulterius Gloss. in c. quam-
vis de Rescript. in 6. dicit, quod Papa possit providere de dignitatibus
vacaturis, tamen id intelligi debet de vacatura hominis cuiusdam,
incerti in terminis generalibus, & ut Germani dicere solent, so bald
sich eine Gelegenheit ereignen werde / worzu supplicant genugsam
qualificirt. Ald. Gail. 2. Obs. 155. Nam hoc casu valet etiam pactum
de futura successione l. 3. §. 2. ff. pro soc. Hinc & Cæsareæ preces pri-
marie generaliter super beneficiis primo vacaturis conceptæ valent
Gail. 2. Obs. 155. n. 6. Neq; sic ligantur manus Principis, si digniorem
personam cum tempore possit habere.

§. 10. Hac occasione Q. Quid de Expectativis officiorum à
superiore concessis sentiendum? Resp. sub distinctione, utrum sint
definitæ an vero indefinitæ: & has tolerari posse s. præc. dictum:
Ratio potest esse hæc, partim quod dependeant à plenitudine pote-
statis c. 4. extra de concess. Præb. Nov. 15. in proem. in fin. partim, quod
illa, quæ profunt alicui & nemini nocent, sint ferenda. Accedit,
quod Princeps notitiam bonitatis illius, cui concedit officium, ha-
buisse credatur. Illas damnandas esse dixerit quispiam, quod vi-
deantur militare contra jura & quidem (1.) Naturale, quod enim tibi
non vis fieri alteri ne feceris (2.) divinum Prov. cap. 20. v. 21. ubi Hæ-
reditas ad quam festinatur, benedictione caret (3.) Civile, ne detur
ocasio mortis l. 2. in fin. ff. quibus ut indign. ubi quis probabiliter
pro vitæ insidiatore habetur, qui de hæreditate alicujus paciscitur,
quo spectare potest Exempl. C. Lotharii Prisci Equitis & Poëtæ No-
bilis à Senatu condemnati, quod ægrotante adhuc Druso Tiberii
filio Carmina de morte illius scripserat, cum hoc indignissimum Se-
natui visum fuerat. Dion Cass. Histor. Lib. 7. add. l. 2. §. 2. de Vulg.
et. pup. subst. ubi huiusmodi expectativa pro signo extremæ avaritiæ

D

& am

& ambitionis habetur (4.) Canon *per c. 2. X. de concess. Præb.* Sed contrarium verius est, arg. eorum quæ in simili de Expectativis feudi differit Struv. Synt. Feud. c. 7. *Aph. 5. n. 4.* Vinn *de pact. c. 19. n. 3. it.* Bacchov *ad Tr. Vol. 1. Disp. 6. th. 8. lit. a.*

§. 11. Ad Accidentalem formam etiam spectat conditio permutationis & similis, quando resignans in gratiam secum permutantis resignat, quæ cæteris paribus tolerari potest, consentientibus scil. & causam examinantibus iis, quorum simul interest mutationes fieri vel non fieri. In causæ cognitionem autem venire potest imprimis utilitas & honestas Reip. vel Ecclesiæ, hinc si uterque permutantium non futili quadam imaginatione, sed certa persuasione donorum ingenii alibi majori cum fructu exercendorum permutationem suscipiat, procedere potest. Superioris tamen consensu, uti sæpius dictum, semper præsupposito, adeoque licet partes pactum hoc permutationis per se inierint & subsignaverint etiam, tamen frustraneum & inefficax erit *l. 1. §. 3. ff. de Rer. Permut.* Sed si alterutra pars consensu superioris resignavit in alterius favorem, altera quoque ad resignandum compelli potest actione præscriptis verbis instituta ad id, quod interest, vel redire decepto resignanti ex æquitate licebit ad officium pristinum, sicuti hoc in beneficiis Ecclesiasticis expresse constitutum *c. 8. X. de Rer. permut.* vid Zigl. *Lib. 1. T. 18. §. 5.* Eadem ratio est resignationis in favorem sub hac conditione celebratæ, si superiori placuerit: Nam illa conditione pendente pœnitentia utriusque conceditur, re quasi adhuc integra, quæ tamen denegatur conditione subsequuta & ubi superior suum consensum permutationi huic interposuit *per c. 8. in fin. X. de confirm. util. & inutil.*

§. 12. Possunt etiam resignationes ejusmodi in favorem fieri coram Notario & testibus ad hoc rogatis, prout sæpius fieri solet in resignationibus Canoniatuum in favorem alterius, & notant Dd. quod hujusmodi resignatio non contineat Simoniam, nisi resignatarius eodem die resignationis, eodem loco coram eodem Notario & testibus constituerit Procuratores ad consentiendum reservationi regressus & pensionis; nam tunc præsumitur præcessisse conventio inter partes, nec omnem abesse Simonie suspicionem.

Unde

Unde & hoc casu Superioris consensus de receptione resignatarii & dimissione resignantis desideratur.

§. 13. Tandem & resignationes fiunt quandoque juramento interposito: & tunc respectu resignantis validæ creduntur, licet forte nondum satis informati sint circa officium resignantes, quia certioratio hoc casu præsumitur eo, quod nemo ad juramentum absque deliberatione accedere debeat, unde & contra juramentum postea pœnitentem datur exceptio abjurationis spontaneæ, & quamvis loco replicationis præsumtionem coactionis allegare velit, quod nemo ultro officium resignare præsumatur quod multis forte laboribus quæsitum, tamen & hæc per duplicationem elidi potest *c. 5. X. de Renunc.*

CAP VI.

De causa Efficiente.

§. I.

CAusam Efficientem pono benevolentiam Resignantis erga resignatarium, unde & Rebuff. *in prax. benef. p. 360. n. 3.* Causam causarum hujus resignationis hodie esse carnis affectionem, statuit, quia omnes officiales volunt suos consanguineos potissimum præficere Ecclesiæ vel Reip. quibus forte male præfuerunt, ut pessime quoque illi postea præsent. Sed quia hæc ratio in bene meritis non procedit nec universalis est, ideo aliam in ipsa æquitate fundatam pono, quæ svadet resignationes tales admitti. Quum enim sæpe accidat, officiales fieri imbecilles vel aliter insufficientes, ita ut vix ulla spes recuperandarum virium supersit, proinde æquum omnino est, dum nemo affectare ulterius ea debet, in quibus intelligit vel intelligere debet, infirmitatem suam alius periculosam futuram *l. 8 ff. ad L. Aquil. illos volentes dimitti aliosq; magis idoneos admitti.* Neque enim jure compelli possunt, ne afflicto ulterior afflictio imponatur contra *cap. 2. causam 7. quest. 1.* aliisque per hoc terror injiciatur *cap. 1. extra de Cleric. egrot.* bene tamen blanditiis & persuasionibus eo perduci possunt, quo casu satius est, admitti illos officiorum successores, quorum fidem, industriam,

aliasque virtutes commendat officialis, quam extraneos, accedit, quod laborum in functione hactenus exantlatorum hic subesse videatur aliquod præmium.

CAP. VII.

De Fine & Effectibus.

§. I.

Finis est ipsa utilitas, quæ ex resignatione hac resultat, quæ iterum respicit vel ipsum resignantem vel resignatarium vel Remp. aut Ecclesiam. Resignantem, quatenus ille sibi præter otium, quo in posterum ex rerum secularium pariter & Ecclesiasticarum abdicatione fruitur, prospicere potest de retentione partis salarii, de regressu, de alio munere ex permutatione occupando & sic consequenter. Resignatario præcipuum hoc quæritur commodum, quod ad officium, quo sustentari potest, evehatur. Tandem Resignans & Ecclesiæ vel Reip. prospicit, dum in sui locum alium, quendam & viribus quidem integrum substituit.

§. 2. Effectus quoque considerari possunt vel respectu resignantis vel resignatarii vel ejus in cuius manus fiunt. Respectu resignantis (1.) est dimissio honesta ejusdem. Hæc autem sive universalis, sive partialis fuerit, illum effectum habet, quod dimissus nihilominus honores & alia jura, forum & privilegia, excepto forte salario, retineat. *Mæv. ad jus Lubec. p. 8. n. 26.* (2.) quod resignans saltem sibi, non vero aliis jus quæsitum jam habentibus sua resignatione præjudicet, unde si officium est hæreditarium Patris renunciatio filius non nocet, unde & patre resignante ad interim mortuo illud recipere possunt *6. un. §. 1. 2. F. 8.* Idem obtinet, etiamsi superior hanc præjudicialem resignationem confirmavit, quia in hujusmodi rescriptis semper illa clausula: salvo jure tertii: inserta subintelligitur *l. 2. §. 16. ff. ne quid in loc. publ. Gail. 2. Obs. 1. num. 14.* Fallit tamen nostra assertio, ubi filius Patris hæres fit, quia illo casu non poterit commode impugnare facta parentis *l. 73. ff. de Evict. vid. Modest. Pistor. L. 1. const. 42 q. 4 per II.*

§. 3. Inter Effectus quoque referri potest illud, quod in tit. C.

ut omnes iudices post admin. cavetur: scil. quod officiales, qualicunq; in dignitate constituti fuerint, postquam illis resignantibus successor designatus & hic successor ad Provinciae fines pervenit, quinquaginta dies in provincia quam gubernarunt commorari debeant, & si auferint ante lapsum 50. dierum retraheri possint in provinciam, ut ibidem adhuc per sex menses permaneant, sine dubio, ut omnibus pateat facultas libera agendi de Syndicatu, seu de iudicio contra officialem ob male gestum officium instituto *d. l. ibidemq; Brun.*

§. 4. Sic quoq; in casu, ubi dolo vi & metu ad resignandum in favorem quis inductus fuit, erit quidem subtilitate juris obstrictus, sed doli exceptione uti potest *l. 36. ff. de V. O. l. 7. pr. ff. de dol. & ita annullari resignatio arg. l. 21. pr. ff. de inoff. test. facit huc Clem. 2. de pen. it. c. 4. extra de his que vi metu.* Metum autem & h. l. non subintelligo vanum, sed qui in constantissimum quemq; cadere potest *l. 6. ff. quod met. causa,* quis autem ille sit, ex personarum qualitate dijudicandum *l. 8. pr. ff. de Condit. Instit.* In his igitur casibus resignati contra possessorem datur in integrum restitutio *d. cap. 4. imo & locum habet beneficium ex can. redintegranda. causa 3. q. 1. nec interest, utrum possessor ipse five alius vim intulit, est enim hoc beneficium in rem scriptum & datur contra quemcunq; possessorem, prout observatum fuit in Camera, tradente *Myns. 3. Obs. 85.**

§. 5. Respectu resignatarii effectus ille erit, scil. quod capiat officium consentiente collatore *c. 4. extra de Renunc. & si quidem nihil expressum specialiter, tunc resignatarius admissus censetur tacite cum salario consueto, & omnibus ad officium spectantibus iuribus & oneribus Gail. 2. Obs. 23. n. 28. Cavetur autem peculiariter in c. 2. §. fin. extra de heret. si resignans sit hæreticus, ne ad eius preces conferantur officia, ne quidem liberis ipsius, quod tamen sine dubio de confesso & convicto eoq; condemnato intelligendum. Nam si quis saltem accusatus, ille lite pendente resignare officium usq; ad causae conclusionem potest, Boër. in Decis. 206 p. 1. Quod si Ecclesiasticum sit, intra sex menses suscipiendum *cap. 2. extra de concess. Prab. vid. Ungep. d. t. n. 5. & 6. ad locum Ziegl. l. 1. tit 27 §. 3. verb. si per sex menses.* Nec tamen à noviter electo resignatario ante confirmationem administrandum *c. 5. extra de Elect. & Elect. potest. in 6. quoniam resignatarius electus ante confirmationem saltem jus ad rem**

nōn vero in re habet arg. *cap. 17. extra de accus. cap. 40. extra de Preb. in 6.*

§. 6. Respectu collatoris est, quod in ipsius arbitrio sit, utrum deferre petito resignantis velit annon *c. fin. X. de Ren. in sext.* Quod si superior consensit quidem in resignationem, non vero personam resignatarii, ut supra dictum, distingvendum est, utrum resignatio simpliciter in favorem facta, an vero cum protestatione, quod non aliter, nisi in hujus favorem, priori casu Collator poterit invito etiam resignante alium officialem recipere, cum præcise non obligetur illi officium tribuere, pro quo rogatus erat, §. 1. *Inst. de fideicom. her. & ad SC. Treb.* res igitur valde periculosa est, cum fiat in fraudem expectantium *c. fin. extra de Ren. in 6* posteriori vero casu aut recipiendus resignatarius est, aut resignans suum retinebit officium. Quamvis enim Boërius illam clausulam: *in favorem & non aliter*; pro non adjecta habere velit, quia ut plurimum sit clausula Notariorum, tamen hæc conjectura saltem est, quæ non poterit invertere intentionem agentium, & quia facti est probari debet. Præsumtio enim hic militat pro instrumento. §. 12. *Inst. de Inut. Stip. Contrarium igitur verius esse arbitror cum Rebuff. in prax. benef. part. 3. p. 368.* quia in dispositionibus ne verbum quidem otiosum esse debet, accedit, quod in dubio actus potius, ut valeat quam pereat accipiendus *per l. 12. ff. de Reb. dub.* Et sic finio disputationem hanc,

DEO, T. O. M. sit Laus & Gloria in secula
sempiterna !

